

2. *Cum confunduntur gradus*: ut, Ille est doctus. Ergò non est indoctus. Non sequitur: quia privatio & habitus aliquando in gradibus remissis coincidunt. 3. *Cum sumuntur subiecta per naturam inepta*: ut, Lapis non est doctus. E. est indoctus. Mensa non est cæca. E. videt. Hic ἀλογην est defectum seu privationem alicujus alicui tribuere, quod οὐχὶ φύσιν habere nequit.

Fallacia disparatorum est, quando separantur, quæ disparata non sunt:

Ut, Christus est homo. Ergò non est Deus. Nam hīc duo ista, Deus & homo per gratiosam οἰνορομίαν in Christo non sunt disparata, sed diversa, vel subjectum, vel adjunctum.

### Cap. 5. Fallacia argumentorum comparatorum,

**F**allacia argumentorum comparatorum succedit. Estq;

Fallacia parium.

I. Parium seu non parium ut parium; cum tanquam paria ponuntur quæ paria non sunt:

Ut, Viris eloquentibus & Jurisperitis patet aditus ad omnes honorum gradus. Ergò etiam Grammaticis patebit. Christus est invocandus. E. & Maria, illius mater gloriofa. Mala opera dominant. E. bona salvant. Gubernatores provinciarum vocant se prorege. E. & Papa se potest dicere vicarium Christi. Diluitur hic elenchus, cum monstratur imparatio, seu imparitas.

Fallacia imparium.

II. Imparium, seu non imparium ut parium:

1. *Cum ut imparia ponuntur, que sunt paria*: ut, cum ars boni Imperatoris præfertur arti boni oratoris. Est enim in utrāq; par dignitas, ut placet Ciceroni. 2. *Cum comparantur impariter, que sic comparari non possunt*: ut, si gladius dicatur acutior, quam ultima lyræ chorda. Nec valet: Johannes est ebrius propter vinum. E. vinum magis est ebrium. Nec hoc: Ignis est calidus propter calorem. E. calor est magis calidus: vel, Martyres dolore afficiuntur propter ignem. E. ignis majore cruciatur dolore. Nā in primo exemplo nō acutum dicitur de utrāq; æquivocè. In secundo & tertio affertur tertiu, quod